



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)



CAPUT I.

*De Oratione generatim & illius  
diversis speciebus.*

**N**omen *Orationis* communiter in tribus accipitur significationibus. Prima acceptio strictissima est pro sola *petitione* alicujus gratia. Secunda largior est pro *omni mentis in Deum elevatione*. Tertia largissima est pro *omni conversatione & colloquutione cum Deo*. De istis tribus acceptionibus nominis hujus *oratio* paucis hic aliqua differemus, ubi & ex occasione monita quaedam & documenta omninò necessaria trademus.

*Prima acceptio nominis oratio.*

**P**rimum igitur *precari* sive *orare* in strictissima acceptione est ad Deum pro obtinenda gratia aliqua aut assistentia confugere. quoniam infinitis necessitatibus premimur, continuo ad Deum confugiamus, atque illius in omnibus auxilium imploremus necesse est. Et vero magnus honor est ille concessus homini, quod liberum in omnibus habeat accessum ad Deum infinitæ Majestatis: atque in hoc excessum bonitatis suæ erga nos divina illa Majestas declarat, quod ipse, qui infinite magnus est, preces nostras audire & exaudire non dedignetur. Certum insuper est, neminem unquam ad Deum confugisse, quin fuerit hæc vel illâ ratione exauditus, quia infallibilis est

*Precatio est alicujas à Deo postulatio. Necessitas confugiendi ad Deum. Bonitas Dei erga nos, quod orationes nostras velit audire.*

illa Salvatoris nostri sententia : *Omnis qui petit, accipit.* Quod si igitur ita parum proficimus, atque in tanta vivimus gratiarum divinarum inopia, id alteri, nisi nobismetipsis, imputare nemini nos oportet, quia ad ipsum non confugimus, sive quia necessitates nostras non cognoscimus, sive quia si cognoscimus, occultam habemus in nobismetipsis, & in propriis industriis nostris confidentiam, quæ credere ac sperare nos jubet fore, ut ex nobismetipsis illis medeamur.

*Insignis  
praxis re-  
currendi  
ad Deum  
in quavis  
occasione,  
priusquã  
aliam ullã  
cogitatio-  
nem ad-  
mittamus.*

Hoc monitum magnæ est considerationis, quod proinde à Fratribus nostris sedulò adnotari debet, ut assuescant sanctæ illi consuetudini in omni occasione, ante omnia opera sua, confugiendi ad Deum, quippe qui nostris omnibus malis possit mederi perfectius, quam nosmetipsi nobis queamus imaginari. Si illis injungitur aliqua mortificatio, si verbis asperioribus increpantur, si difficilia aut illorum affectioni minus conformia illis præcipiuntur, demique si quavis in re aliquam interiorem experiuntur contradictionem, ocysimè cor suum elevabunt ad Deum, atque ab illo petent gratiam aut patienter sufferendi, aut generosè exequendi id, quod illis tunc aliquam causare videtur aversionem aut horrorem.

*Duo defe-  
ctus illorũ,  
qui in su-  
bitis occa-  
sionibus  
non re-  
currunt  
ad Deum.*

Porro qui sanctæ huic praxi minus assueverunt, duos magnæ considerationis committere solent defectus. Primum enim, quo de cogitant suis in afflictionibus & contradictionibus, est, quanam se possint ratione ab illis expedire, quod si nequeant, inquietantur, ac murmurare incipiunt, id quod Deo summopere displicere

con-

consuevit, quem è contra si invocassent, ipsius-  
que implorassent subsidium, absq; ullo omni-  
no labore difficultates omnes superare, Deiq;  
gloriam promovere potuissent.

Ista vero intelligi omnino debent de iis *Nihil un-*  
prorsus omnibus, quæ quis adoriri queat, ne- *quam in-*  
gotiis, in quibus utilius multo est, nos Deo re- *choandum*  
commendare, quàm in nostris confidere in- *est, quin*  
dustriis, aut ullis inniti creaturis; atque in re- *Deo prius*  
bus omnino omnibus orandus nobis Deus est *id com-*  
illiusque imploranda gratia, humillimè que *mendaver-*  
nobis confitendum; ab illo nostra omnia de- *rimus.*  
pendere. Quo vero majoris extiterint mo-  
menti negotia, eò frequentior ferventiorque  
sit oratio necesse est. Deus etenim ita statuit,  
ut unicum ea omnia consequendi in tempore,  
quæ nobis ab æterno decrevit ille elargiri, me-  
dium sit oratio. Illa est, ex Patrum antiquo-  
rum sententia, catena aurea, quâ cœlestes at-  
trahere nobis gratias valemus. Illa est, ex men-  
te S. Augustini, clavis thesaurorum ipsius Dei,  
cujus unius beneficio, quantum quidem vo-  
luerimus, locupletari possumus. Illa tandem  
est generale omnium infirmitatum ac debili-  
tatum remedium. En primam & strictiorem  
acceptiorem nominis *orationis*, quæ, uti  
patet, in hoc sensu non accipitur nisi pro  
petitione.

*Dua alie nominis orationis acceptio-  
nes generaliores.*

**S**ecundo accipitur generalius, pro quacum-  
que *menti. ad Deum elevatione*, sive ipsum *non defice-*  
adorando, sive ipsi gratias agendo, sive nostras re-

A §

actio. *Luc. 18. 1.*

*Oportet  
semper  
orare &  
non deficere.*

*Die ac no-  
ste in Lege  
Domini  
meditan-  
tes & in  
orationi-  
bus vigi-  
lantes.  
Reg. 7.*

actiones offerendo, sive in ipsius nosmet voluntatem resignando, sive alium quemcunque interiorum affectum producendo. Et secundum istam definitionem ille, juxta Salvatoris nostri consilium & regulæ nostræ præscriptum, semper in oratione perseverat, qui continuam de Deo habet cogitationem, sive qui ex omnibus, quæ videt aut intelligit, occasionem sumit elevandi cor & mentem suam ad ipsum, omnia ad ipsum referens, itaque se in omnibus componens, ut cum S. Paulo dicere possit: *Nostra conversatio in cælis est.*

*Nostra  
autem  
conversa-  
tio in cæ-  
lis est,  
Phil. 3, 20.*

Oratio in hoc sensu accepta continua est in aliquibus, quia illius faciendæ perfectum consecuti sunt habitum; in aliis est interrupta, qui, cum non sint adhuc nisi tyrones, interruptis dumtaxat atque interpolatis vicibus cor suum ad Deum elevat, quæ de re loquimur inferius. Verum omninò necesse est, ut Fratres nostri assuescant non solum ad Deum in suis necessitatibus pro obtinendo illius subsidio confugere, sicut jam diximus, verum etiam absque ulla omninò intermissione atque interruptione corda habere ad Deum elevata, quo ipsi actiones suas offerant, & ut in omnibus atque ex omnibus occasionem sumant omnia referendi ad majorem ipsius gloriam, illum adorando, atque in omnibus operibus suis admirando, illum in prosperis quibusque laudando ac benedicendo, sequemetipsos in adversis integrè in manus ipsius atque voluntatem resignando, atque, uno verbo, suam in omnibus illi mentem atque affectum unire contendendo.

Sancti

Sancti materiam esse scrupuli semper existimârunt, si mentis suæ attentionem à Deo vel minimum abstraxissent, quo fieret, ut etiam in iis, quæ maximè ex improvise evenire solent, etiam viri sapientissimi, maximeque spirituales, subito ad illum advertere atque elevare mentem non valerent. Etenim de S. Martino legimus, quod ubi nocte quadam in illius cella improvisum fuisset natum incendium, ille evigilans, seque mediis in flammis constitutum videns primò statim cogitavit aperto ostio periculum effugere, neque mox in Deo mentem suam defixit, aut illius imploravit subsidium. Verum ubi se recollegisset, amarissimè hunc suum defectum plorare cœpit. E quo liquet, quomodo sanctæ animæ nunquam non contendant, ut in omnibus rebus primæ semper cogitationes suæ sint de Deo.

*Exemplum  
notabile.*

Tertio nomen *orationis* sumitur etiam paulò latius, non solum pro quacunque mentis nostræ ad Deum elevatione, sed etiam pro omni *collocutione & conversatione* creaturæ cum Deo suo. Verùm uti quinque modis cum Deo conversari possumus, etiam sunt

*Tertiana  
ceptio no-  
minis ora-  
tionis.*

*Quinque diverse species orationis.*

PRimò colloquimur cum Deo ore, & hæc vocatur *oratio vocalis*. Secundò corde sine strepitu labiorum, & hæc vocatur *oratio mentalis*. Tertio conjunctis simul voce & affectu cordis, aut alterum alteri permiscendo, & hæc dicitur *oratio mixta*. Quarto brevibus versibus, aspirationibus, cordisque inflammationi

*Præcedens  
acceptio  
non respi-  
cit nisi ele-  
vationem  
voluntatis  
in Deo.  
Hæc verò  
respicit*

*elevationē intellectus: ille enim dicitur esse in oratione, qui meditatatur aut ratio-* *cinatur* *circā al-* *quam ve-* *ritatem* *spiritualē,* *ut inde profectum aliquem hauriat interiorē.* *mati ad Deum elevationibus, & hæc vocatur oratio jaculatoria. Tandem simplici ac nuda occupatione, & hæc vocatur oratio unitiva, sive contemplativa; quæ omnia paulo nobis sunt enucleatius exponenda.*

1. Quando nos applicamus orando Deo, recitando devotè orationem dominicam aut officium divinum, sive alta voce in publico, sive submisse in privato, vocatur *oratio vocalis*, quia ore ac voce illa efformatur oratio.

2. Quando loquimur absque ullis verbis aut vocibus ore prolatis, sed solum interius mente & cogitatione conversando cum Deo, appellatur *oratio mentalis*.

3. Possumus aliquando etiã orationi vocali intermiscere devotas quasdam ac pias cogitationes sive considerationes, atque aliquando quibusdam versibus aut etiã verbis considerandis immorari, ut exinde lumen aliquod aliquemve pium devotionis affectum hauriamus. Et hæc est *oratio mixta* ex vocali & mentali.

4. Sæpe accidit, ut anima ardenti quadam affectione accensa, fortiterque, aut ex lectione pia, aut subito Dei motu, aut pia aliqua exhortatione, discursu & colloquio spirituali, aliaque consimili ratione, excitata corde aut etiã ore producat actus aliquos & affectus per breves, verùm efficaces, quasi totidem jacula Deum versus actualiter directa, atque ista ad Deum elevandi sese methodus vocatur *oratio jaculatoria*, seu *aspirativa*.

5. Tandem quando anima interius extraordinaria-

dinatiâ se tactam advertit gratiâ, quæ illam in secretum cordis invitans & appellans cubiculum, ut audiat & recipiat à Deo secretas instructiones, dona & lumina cœlestia in altissima pace; & ut æternarum voluptatum suavitatem prægustet, hoc orandi genus vocatur *orare in spiritu*. seu *in unione spiritus cum Deo*, eo quod oratio ista perficiatur in profundo animæ, sine discursu aut ratiocinatione composita, sed simplici quasi quodam intuitu, qui illam afficit & suaviter in eo quod experitur ac possidet, intra semetipsam oblectat. De hoc extremo orationis genere hic non tractabimus, sicuti nec de oratione vocali, verùm istam materiam in alteram nostri Directorii partem, quæ propria Professorum est, rejicimus. In hoc igitur tractatu tantùm agemus de tribus aliis orationis speciebus, scilicet de mentali, mixta & aspirativa, quia istæ Novitiis absolutè necessariae sunt ad perfectam acquirendam introversionem & interiorem cum Deo conversationem.

## CAPUT II.

*De oratione mentali.*

**O***Ratio mentalis*, juxta ipsam nominis significationem, nihil aliud est, quàm interior discursus & quædam connexio sive coordinatio bonarum cogitationum & sanctorum affectuum circa materiam aliquam, è qua profectum suum spirituale anima haurire desiderat. *Definitio.*  
Est